ACTA ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris Anno M DC LXXXII.

EPISTOLARUM INNOCENTII III Romani Pontificis Libri XI, collecti a Stephano Baluzio.

Parisiis apud Franciscum Muguet, An. 1682. fol.

INnocentius III Pontifex Romanus pro more antecessorum suorum Epistolas tum suas tum ad se scriptas, ac præterea graviora negotia quæ sua auctoritate passim gerebantur, colligendo in Regesta retulit. Quæ si integra & imperturbata ad nos pervenissent, longe plura gesti per XIIX annos Pontificatus monumenta haberemus. Enim vero qui illos libros collegerunt Scribæ diversi nullum fere ordinem in eo opere digerendo servaverunt, plerasque majoris momenti epistolas omiserunt, unam eandemque bis in eodem libro reposuerunt, sæpe neglexerunt annotare diem & locum datarum epistolarum; de quibus defectibus doctissimus Baluzius Præfationis initio conqueritur. Nec exemplaria regestorum vetera uno eodemque omnia extant loco. Priores novem libri asservantur Romæ in armariis Pontificum; tres sequentes habuit Franciscus Bosquetus Episcopus Monspeliensis; quatuor qui deinceps sequuntur, diu conservavit bibliotheca Collegii Fuxensis; tres ultimi aut perierunt, aut adhuc latent in angulis Bibliothecarum. Prima Epistolarum Innocentii editio, duos tantum priores libros complexa, prodiit Romæ anno 1543, opera Gulielmi Sirleti tum Bibliothecarii Vaticani, postea Cardinalis. Secundam editionem emisit Maternus Cholinus typographus Coloniensis anno 1575. Tertiam triennio post Societas typographorum Venetorum. Bosquetus cum libros quatuor antea ineditos reperisset Tolosæ in Bibliotheca Collegii Fuxensis, eosdem edidit anno 1635. Baluzius animadvertens, quantam personam sustineat hic Innocentius in libris Decretalium, quamque jucun-

dum foret epistolas ejus dari integras, quæ in Decretalium libris tantum habentur per partes, statuit secum nova editione donare sex libros a Sirleto & Bosqueto publicatos, tum cæteros quoque conquirere. Sæpius ergo Romam scripsit, ut tertium & cæteros hinc haberet posset. Sed id totum frustra fuit. Partem tamen libri quinti, qui hactenus desiderabatur, habuit beneficio Jacobi Augusti Chevanei Advocati Divionensis. Tertii defectum supplevit ope vetustæ collectionis, quam ex tribus primis Epistolarum Innocentii libris confecit Rainerius Diaconus & Monachus Pomposianus, reperit autem Baluzius in Bibliotheca monasterii Sancti Theodorici Remensis. Præter libros igitur dictos, edidit etiam decimum, undecimum, & duodecimum, nunquam antea editos, quos ipsi subministravit ante laudatus Franciscus Bosquetus. Addidit etiam regestum de negotio imperii acceptum e codice Bibliothecæ Vaticanæ, eo ipso quo usi sunt *Scriptores annalium ecclesiasticorum*, Abrahamus Bzovius & Odoricus Raynaldus. Quod tamen non habuit ex Codice Vaticano, sed ex Bibliotheca Reverendissimi & Celsissimi Principis, Ferdinandi Furstenbergii, Episcopi Paderbornensis & Monasteriensis, qui cum ex literis Hermanni Conringii intellexisset, incumbere Baluzium novæ editioni epistolarum Innocentii III, ac valde optare eos libros, qui extabant *in Bibliotheca Vaticana*, regestum illud, quod Romæ degens in usum suum describi fecerat, ad eum misit. Ne quid vero novæ editioni deesset, adjecit Baluzius Gesta Innocentii III, scripta ab auctore illorum temporum, eadem quæ Bosquetus olim ediderat ex Codice MSS. Collegii Fuxensis, sed ex collatis antiquis exemplaribus multo emendatiora. Præterea in gratiam studiosorum Juris Canonici adnotavit in margine epistolas, quæ sunt in Corpore Juris, & ut facilius inveniri quæque possit, earum elenchum alphabeticum posuit post Præfationem. Constituerat olim Notas edere ad loca quædam epistolarum illustriora aut difficiliora, sed penuria otii mutavit consilium. In fine præfationis Editor veniam tarditatis deprecatur, quod opus ante quindecim annos inceptum tam sero exierit in lucem. Multa sæpe revocasse impedimenta a labore hoc, præcipue diutinam exspectationem exemplaria librorum Bibliothecæ Vaticanæ nanciscendi.

In ipso Epistolarum Opere quamplurima occurrunt & quæ lucem afferunt historiæ illorum temporum, & quæ Jus Canonicum non parum

parum illustrant, integrant & perficiunt. Pauca indicasse hic sufficit. Constantinopolitanum Imperatorem Alexium exhortatur, ut studeat & efficiat Græcorum Ecclesiam reducere ad Sedis Apostolicæ unitatem, tanquam filiam ad matrem, *lib. I. ep. 353.* Romanam Ecclesiam esse matrem omnium Ecclesiarum, a qua Græci nullo jure discedere possint, *ep. 354.* patriarchæ Constantinopolitano persuadere nititur. Conf. *lib. XV ep. 156.* Eidem primatum & prærogativam illam impugnanti *lib. II. ep. 208.* prolixa epistola sequente respondet. Confitenti autem & se submittenti Catholico Armeniorum *ibid. ep. 217, & lib. V. ep. 44* literas duas statim subnexas amoris favorisque plenissimas reddit. Homobonum vita & miraculis clarum prædicat & catalogo Sanctorum adscribit *lib. I. ep. 530.* Episcopis ait ad aliam Ecclesiam transire inscio Papa non licere, quod spirituale inter Episcopum & Ecclesiam conjugium nemo nisi DEUS & Vicarius Jesu Christi solvere possit *l. I. ep. 326.* adeoque tam eos qui Episcopos in aliam Ecclesiam transtulerant, quam qui se transferri passi fuerant, ab officio suspendit & cedere nolentes anathemate ejicit, *lib.* I. *ep. 50. 51. 117. 335. 447. 490. 574. lib.* II. *ep. 54, 201-204. 278. &c.* Prussis ac Livonis nuper conversis de Pastoribus prospicit *l. X* III. *ep. 128. l. XV* I. *ep. 120. 124. 126. 127.* Clerici majorum ordinum uxores dimittere, commissumque peccatum debite expiare jubentur, nisi velint reditibus ecclesiasticis spoliari, *lib.* I. *ep. 469.* Conf. *lib. X. ep. 147.* Eosdem aliquos vagos, scortatores, adulteros, dilapidatores bonorum ecclesiasticorum, in torneamentis frequentes, aliisque flagitiis infames coercet *l.* I. *ep. 202. 209. 255. l. V. pag. 666. lib.* XII. *ep. 63. lib.* XI. *ep. 291. l.* X. *ep. 89. l.* XIV. *pag. 591. lib.* XVI. *ep. 6. &c.* Quare necesse ducebat monere Laicos, iniquitate Sacerdotis virtutem Sacramenti non evacuari, sicut infirmitas medici vim medicinæ non impedit, *lib. X ep. 54.* Plena tam in temporalibus quam in spiritualibus potestate Ecclesiæ Romanæ matri Ecclesiarum omnium & magistræ, opus esse, ut tanto fortius subjectos suæ temporali Jurisdictioni populos ab ecclesiarum & ecclesiasticorum injuriis cohibere possit, *l.* I. *ep. 27.* Se divina providentia inter Principes, imo supra Principes sedere, & de Principibus judicare, dicit *lib.* II. *ep. 197.* Sacerdotium majus esse regno, pluribus argumentis adstruit *in Registro de negotio Imperii, Epist. 18. & in prima Collectione Decretalium Rainerii Tit. 2.* Clericos a Jurisdictione Magistratus civili passim eximit *l.* I. *ep. 150. l.* II. *ep. 162. & 178.* Per

 poten-

potentiam Laicalem constitutos a dignitatibus ecclesiasticis removet *l.* I. *ep.* 16. 18. 31. Sanctium Regem regnumque Portugallense censuale Romanæ Ecclesiæ, in Petri & suam protectionem recipit *l.* I. *ep.* 441. cui se commendant Rex Dalmatiæ & Magnus Jupanus Serviæ *l.* II. *ep.* 176. *seq.* Siciliæ Regnum ut feudum Romanæ Ecclesiæ concedit Constantiæ Imperatrici & Filio ejus minorenni Friderico, censumque annuum imperat in *l.* I. *ep.* 410. Defuncta Constantia se tutorem Friderici gerit *l.* I. *ep.* 136. Exarchatum Ravennæ, Marchiam & Tusciam, Ducatum Spoletanum patrimonio Petri vendicat *l.* I. *ep.* 27. 356. *l.* II. *ep.* 4. Quibus in damnum Imperio Germanorum factis se opponentem Marcovardum Marchionem Anconensem, Ducem Ravennensem, Procuratorem Regni Siciliæ, Imperialis aulæ Senescalcum iterum iterumque excommunicat, subditos a sacramento ipsi dato absolvit, perhibens fidelitatem, quam aliqui Christiano Principi juraverunt, non servandam, DEO ejusque Sanctis adversanti & eorum præcepta calcanti; insuper adversus eundem Comites, Barones, Nobiles, Civitates Italiæ, Siciliæque excitat, pecunia data & remissione peccatorum largissime oblata *l.* I. *ep.* 557. *& sequentibus*; imo & Saracenos ab ejus partibus, ipsorum fidem erga dominos suos laudando, avocat, *l.* II. *ep.* 226. Registrum super negotio imperii CXCIV epistolas complectitur, partim ab Innocentio, partim ab aliis ad ipsum scriptas, cum alii Proceres Philippum Suevum, alii Ottonem Saxonem sibi Regem Romanorum elegissent & coronassent. Pontifex compositionem schismatis ad se pertinere dictitans, Philippum utpote excommunicatum rejicit, Ottonem confirmat. Proceres quidem Philippo faventes, tum Ecclesiastici tum seculares, turbationem istam liberrimi juris eligendi, quod haberent, esse conquerendo, exprobrant Papæ & Cardinalibus *ep.* 61. sed nihilominus Innocentius Ottonem tuetur, ab eo alienos ad obsequium & subjectionem censura ecclesiastica compellit, eundem modis omnibus juvat & ornat, juramento, quod *ep.* 77. extat, sibi & Romanæ Ecclesiæ devincit. Enim vero cum postea Otto Mathildis principatum Imperii bonum repeteret, Imperator excommunicatus & maledictus *l.* XIII. *ep.* 139. reprobus, ingratus, promissionum suarum oblitus *ep.* 210. Deo hominibusque exosus *l.* V. *ep.* 189. tyrannus *l.* XIV. *ep.* 20. & 126. non jam nominandus Imperator, sed impius persecutor *l.* XV. *ep.* 31. pronunciatur. Johannem Regem Angliæ bona monachis & libertatem per-

mittere,

mittere, vasallum Papæ se fateri, annuumque censum mille marcas promittere cogit *l.* X. *ep.* 219. *l.* XI. *ep.* 87. 211. *l.* XV. *ep.* 234. 236. *seq. lib.* XVI. *ep.* 76. *sequentibus, ep.* 130. *& deinceps.* Divortium Regis Franciæ Philippi, qui Ingeburge Regina, maleficium obtendens propter quod debitum conjugale sibi mutuo præstare non possent, repudiata Agnetem filiam Ducis Meraniæ superinduxerat, *pluribus epistolis* improbat admodum, adhibitoque rigore ecclesiastico, Regem, ad recipiendum dimissam conjugem urget; obtinet etiam, ut defuncta Agnete prior conjux rursum admitteretur, susceptos nihilominus ex superinducta liberos legitimos facit. Ad bellum sacrum pro recuperatione Terræ Sanctæ tam Clericos quam Laicos cruce signatos milites excitat, promittendo plenam remissionem peccatorum, recipiendo in protectionem B. Petri bona in Terra sancta militaturorum, eademque ab exactionibus usurariorum liberando, pecunias etiam grandes tam ex suis quam monachorum reditibus collectas ad alendum exercitum transmittendo. Concilium generale indicit ad deliberandum de Terræ sanctæ recuperatione & reformatione universalis Ecclesiæ *l.* XVI. *ep.* 30. *& sequentibus.* Manichæos & Valdenses, quos communi *hæreticorum* nomine comprehendit, pari pœna damnat, ad nullas dignitates civiles admittendos, bonis omnibus privandos, necandos. Eosdem igitur dogmatibus longe diversos, habitationibus tamen cumprimis in Comitatu Tolosano permixtos, per milites cruce signatos provinciales convocato magno numero trucidat, cæteros expellit, *l.* I. *ep.* 81. 94. 165. 298. *l.* II. *ep.* 1. *l.* X. *ep.* 54. *l.* XII. *ep.* 86. *seqq. ep.* 108. *& pluribus eodem libro aliis.* Judæos in protectionem suam exemplo prædecessorum recipit *l.* II. *ep.* 302. Meretricem e lupanari extrahere & in uxorem ducere, pium & meritorium statuit *l.* I. *ep.* 112. Cælestinum antecessorem suum sententiam aliquam veritate cognita revocasse scribit *l.* I. *ep.* 50. ejus indulgentiam in præjudicium alterius Ecclesiæ concessam irritam declarat *ep.* 61. Literas Apostolicas subreptitie impetratas quamplures cognoscit & nullas pronunciat *l.* I. *ep.* 219. 224. 245. *l.* II. *ep.* 23. 40. Processisse se in decretis sicut divinitus sibi fuit revelatum, scribit *lib.* I. *ep.* 435. &c.

LYCEUM PATAVINUM: sive ICONES & Vitæ Professorum Patavii Anno MDC LXXXII publice docentium. Pars prior *Theologos, Philosophos & Medicos complectens, per CAROLUM PATINUM, Equitem Divi Marci, Doctorem Medicum Parisiensem, & Primarium Chirurgiæ Professorem Patavinum.*

Patavii 1682 in 4.

PErvetustus mos est imaginum, quas majores olim bene meritis ac sapientibus hominibus, tam publice in theatris & porticibus, quam in atriis domi & privatim, ut simulacra essent virtutis & monumenta gloriæ ad omnem posteritatem, posuerunt. Quæ ambitio, *Plinio* humanissima dicta, eo valuit, ut dispositis per armaria his imaginibus memoria clarorum Virorum prorogetur, quam sicut alia omnia vetustas obrueret, atque ab oblivione vindicati ii colantur perpetuo, quasi in vivis essent, quorum vultus expressi posterorum oculis animisque subjiciuntur, qui avitæ gloriæ ac virtutum æmuli in has vitas & imagines tanquam in speculum possint inspicere atque ex iis sumere exemplum sibi. Studium hoc propagandæ clarorum Virorum per imagines memoriæ multo autem magis suscipiendum ob eos, qui dum mortalem hanc vitam incolunt, quum sapientia atque doctrina cæteros præstent, sive inertia tamen quod scribendi laborem effugiunt, sive animi demissione ac modestia, quod sui apud posteritatem curam non magnam habent, nihil omnino scribunt; vel si maxime ad consignanda litteris præclara ingenii monumenta se contulerunt, ea relicta post ipsorum mortem pulvere situque marcescunt & blattis ac muribus cibum præbent. Bene igitur atque præclare apud posteros merentur, qui & egregia hominum ingenia, quæ sua ætate floruerunt, descriptione eorum, omnium seculorum posteritati commendant; & corporum ab egregiis animis habitatorum simulacra velut spirantia oculis posterorum intuenda relinquunt. Qua in re suæ genti præ aliis consulere studuerunt Itali: inter quos jampridem *Paulus Jovius* elogiis scriptis & iconibus adjectis effecit, ut, dicente Bonaventura Vulcanio, Doctorum æternum vultusque animusque supersint: postea *Jo. Imperialis* in Museo Historico, Anno 1640 Venetiis evulgato,

&

& hunc secutus doctissimus Æmoniensis Episcopus *Jac. Phil. Tomasinus* duobus libris Anno 1630 & 1644 editis clarorum Italiæ Virorum imagines, ut alios jam taceamus, apte disposuerunt & elogia vitasque descripserunt. Jamque omnium elegantiarum promus condus *Carolus Patinus*, scriptorum præstantissimorum gloria inclytus, e Gallia ad Euganeos delatus, idem urget propositum, eorum qui hodie literis clari in Academia Patavina, eruditionis cultu longe celeberrima, vivunt Professorum Vitas, Elogia, & edita ab ipsis præclara ingenii monumenta exponens; ubi ea affert, quæ a probatis viris testibusque fide dignis suppeditata, vel ab ipsis, quos repræsentat, communicata accepit; icones etiam præcipua cura ad veritatem vultus compositas adjicit. *Primam* jam dedit *Partem*, in qua eos sistit, qui *Artistarum* nomine veniunt, *Legistis* in alteram partem sepositis; Professores nimirum oculis exponens, qui Theologica studia jam in Patavina Academia tractant, & Philosophiam docent, cumprimis autem qui Medicam artem faciunt, & ad eam quæ pertinent studia exercent: eo servato ordine, quem tempus designat, quo quisque a Serenissima Venetorum Republica in numerum Professorum cooptatus est. Is autem hac serie eos collocat:

	Natus.	Professor.
Hieronymus Frigimelica, *Medicus.*	1611	1633
Octavius Ferrarius, *Polyhistor, Eloquentiæ & Politicæ, Græcæque Linguæ Professor*; vivis excessit hoc ipso, quo *Lyceum* hoc *Patavinum* prodit, M DC LXXXII. anno, Nonis Mart. ingenti cum jactura bonarum litterarum elegantiorumque studiorum.	1607	1634
Angelus Montagnana, *Medicus.*	1606	1635
Sebastianus Scarabicius, *Medicus.*	1609	1644
Jo. Pompilius Scotus, *Medicus.*	1620	1644
Georgius a Turre, *Medicus.*	1607	1649
Hadrianus a S. Juliana, *Ord. Præd. Philosophus.*	1626	1650
Hilarius Spinellus, *Medicus.*	1626	1654
Alexander Borromeus, *Medicus.*	1625	1656
Hermenegildus Pera, *Medicus.*	1608	1657
Dominicus de Marchetis, *Medicus.*	1626	1662
Stephanus de Angelis, *Mathematicus.*	1623	1662

Albanius

	Natus.	Professor.
Albanius Albanesius, *Philosophus.*	1640	1664
Felix Rotundus a Monte Leone, *Ord. Minor. Theologus.*	1630	1665
Carolus Renaldinus, *Philosophus.*	1615	1665
Joannes Cigala, *Philosophus.*	1623	1666
Antonius de Marchetis, *Medicus.*	1640	1670
Antonius Maria de Blanchis, *Ord. Minor. Philosophus.*	1630	1672
Jordanus Jordani, *Ord. Minor. Philosophus.*	1644	1674
Jacobus Pighius, *Medicus.*	1647	1675
Carolus Patinus, *Polyhistor. Medicus.*	1633	1676
Jo. Hieronymus Textorius, *Ord. Bened. Theolog.*	1629	1677
Nicolaus Calliachius, *Philosophus.*	1645	1677
Geminianus Montanarius, *Mathematicus.*	1633	1678
Octavius Saviolus, *Medicus.*	1653	1678
Vitalis Terra Rubea, *Ord. Bened. Philosophus.*	1623	1678
Nicolaus Arnu, *Ord. Præd. Philosophus.*	1629	1679
Georgius Calafatti, *Medicus.*	1652	1679
Seraphinus Piccinardus, *Ord. Præd. Theologus.*	1634	1681
Josephus Carlottus, *Philosophus.*	1634	1681
Michael Angelus Molinettus, *Medicus.*	1652	1681
Ludovicus de Saxonia, *Medicus.*	1657	1682
Augustinus Pivati, *Medicus.*	1644	1682

LYSIÆ ORATIONES XXXIV. antehac a Jodoco Vanderheidio Græce & Latine simul editæ, nunc recusæ.

Marpurgi Cattorum Anno 1682 in 8.

ETsi Orationes forenses in Græcia & Romæ olim usitatæ, nostri fori usu jamdudum exulent; earum tamen usus longe maximus est, ad Antiquitates non solum veteris fori cognoscendas, sed & ad copiam apparatumque dicendi instruendum, causarum ambigua hodienum occurrentia fata dirimenda, inque civili vita actiones instituendas. Quapropter de studiis non solum humanioribus sed & civilibus

bus præclare merentur, qui veterum Græciæ Oratorum eloquentiæ quæ supersunt monumenta ab interitu conservare & commodo studiosæ Juventutis in publicum edere student. Ac Demosthenis, Isocratis, Æschinis, Libanii, Dionis Chrysostomi, Themistii & quorundam aliorum Orationes peculiaribus voluminibus a Dion. Lambino, Joach. Perionio, Hieronymo Wolfio, Gulielmo & Federico Morellis, ac Dion. Petavio extant editæ, in Latinum etiam sermonem eorundem doctorum virorum studio conversæ: ut vero reliquorum, quæ supererant, Græciæ Oratorum reliquiæ servarentur ac Latine legerentur, post *Henricum Stephanum*, qui anno 1575 *Oratorum veterum Orationes Græcas* cum nonnullarum interpretatione Latina typis suis excudit, cumprimis *Andreas Schottus* studuit: excitato *Alphonso Miniato*, qui septuagenario major Antiphontis, Andocidis, & Isæi Orationes ex Græcis Latinas fecit Antverpiæ 1618: auctor etiam extitit, ut *Janus Gruterus* Dinarchi, Lycurgi, Lesbonactis, Herodis & Demadis politicas orationes e Græcis Latinas anno sequenti daret: *Jodocum Vanderheidium* quoque exstimulavit, ut Orationes XXXIV, de LYSIÆ amplius quadringentis superstites, in Latinam linguam converteret; quod vadum ante ipsum tentaverat nemo. Nam etsi illæ, quas *pro cæde Eratosthenis*, item *in Eratosthenem tyrannum*; nec non *in Alcibiadem*; & *negotiatores frumentarios*; *funebris* etiam quam *in laudem eorum, qui in acie perierant, dum Athenienses Corinthiis auxilium tulerunt*, scripserat (paucas enim habuisse & recitasse Lysiam, plerasque aliis recitandas reliquisse, autor est M. Tullius) conversæ in Latinum sermonem jam extitissent: majori tamen diligentia & accuratiori studio has æque ac omnes reliquas Lysiæ Orationes Vanderheidio interprete Latina civitate donatas, e conjectura etiam aliquando in textu quædam ingeniose mutata esse, deprehendet qui ejus studium cum aliorum industria, quam Oratori huic impendere, contulerit. Eum igitur in habitum compositum Græcum Oratorem, quem Cicero Latini eloquii parens tanti habuit, ut venustissimum eum & politissimum egregieque subtilem Scriptorem ac elegantem prædicaret, imitandumque ejus submissum, sed purum dicendi genus proponeret, quod se ipsum consulto ad minutarum genera causarum limaverit; Fabio etiam optimo dicendi magistro adeo laudatum, ut nihil eo perfectius quæri posse censeat, ut amplissimum Dionysii Halicarnassensis & Plutarchi gravissimorum

ſimorum Autorum de eo judicium taceamus: præ cæteris idoneum exiſtimavit Lud. Bourgeatius Moguntinenſis Academiæ bibliopola, quem ſtudioſæ Juventutis bono recuderet: rem admodum gratam Græcæ eloquentiæ cultoribus ſe facturum ſperans, ſi Orationes has a Vanderheidio Latina interpretatione & politicis Notis adornatas in tabernis vix obtinendas amplius, publico uſui redderet. Quod inſtitutum in Præfatione a Jo. Burchardo Maji laudatum quivis literarum Græcarum ſtudioſus ſibi utile deprehendet; quum ex hoc auctore iſtius linguæ uſus omnium rectiſſime & facillime comparari poſſit, quem propterea Dionyſius Halicarnaſſeus *καθαρὸν τὴν ἑρμηνείαν πάνυ, καὶ τῆς Ἀττικῆς γλώττης ἄριστον κανόνα* pronunciat, & ob puritatem ſermonis, *τοῖς καθαρῶς γράφειν ἢ καὶ λέγειν βουλομένοις, ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα ποιεῖσθαι παράδειγμα ταύτης τῆς ἀρετῆς* jubet.

THEOLOGIA POSITIVA, per definitiones, cauſas, affectiones & diſtinctiones, Locos Theologicos univerſos ſuccincte juſtoque ordine proponens: ceu Compendium Syſtematis Theologici. Opera D. Abrahami Calovii, P. P. Primarii, Facult. Theol. & Conſiſt. Eccleſiaſt. Senioris, Paſtoris & Superintend. Circul. Electoral. Saxonici &c.

Wittebergæ, Anno M DC LXXXII. in 8.

PRæterquam, quod titulus hujus libri optima fide agit, ſacrasque, quas continet, doctrinas modumque, quo pertractatæ ſunt univerſæ, deſignat aperte ac perſpicue, Auctor etiam tantæ eſt celebritatis, ut nos, quod absque nauſea Lectoris adjiciamus, habeamus prorſus nihil. Gratias potius ipſi agimus decentes, quod, poſtquam tot exegeticis, tot didacticis & polemicis ſcriptis Theologiam ad vivum expreſſit omnem, eandem *ὡς ἐν τύπῳ* hoc in libello exhibeat nobis, tam exquiſite ac plene, *ut*, quod ipſe haud fruſtra pollicetur in præfatione, *ſi quis hancce Theologiam Poſitivam, qua theſin & dicta probantia, ſibi familiarem reddiderit, ſolidum fundamentum jacturus ſit univerſæ Theologiæ.*

DIS-

DISSERTATIO ECCLESIASTICA
Apologetica & Anticritica adversus F. Claudium Frassen.
Seu
Dissertationis Alexandrinæ de Vulgata Scripturæ Sacræ Versione Vindiciæ.
Parisiis, Anno M DC LXXXII. in 8.

Quadriennium circiter elapsum est, cum *Natalis Alexander*, Theologus Parisiensis & in Majori Conventu & Collegio Ord. FF. Prædicatorum Regens, una cum aliis duabus dissertationibus ecclesiasticis, dissertationem de Vulgata S. Scripturæ Versione in lucem publicam emisit, cujus sexta & ultima quæstio circa *sphalmata* occupatur, *quæ*, ut verba ejus habent, *in Vulgata Versione Bibliorum jussu Clementis VIII emendata etiamnum supersunt, & Ecclesiæ autoritate corrigi possent.*

Hanc dissertationem pro inveterata Ordinis sui erga Dominicanos & Thomistas æmulatione haud ita pridem impugnavit *Claudius Frassenius*, itidem Theologus Parisiensis & conventus atque Collegii F. F. Minorum Guardianus. Is enim in Disquisitionum suarum Biblicarum hoc ipso anno editarum, & in actis nostris Mense Novembri p. 354. recensitarum cap. 6. quod de Editione Vulgata Latina inscriptum est, Natalem Alexandrum tanquam hodiernum Historiæ Ecclesiasticæ compilatorem & Hæreticorum plagiarium suggillat, eaque Scripturæ loca, quæ prædictus Alexander post *Lucam Brugensem* & alios eruditos corrigenda monuit, nullis omnino mendis laborare maximopere contendit.

Exinde ergo nata est hæc disquisitio apologetica & anticritica, in qua Natalis Alexander dissertationis suæ de Vulgata Versione vindicias adornat. Ac primum quidem Historiam suam Ecclesiasticam in Actis nostris Mens. Jul. p. 209. memoratam, in qua *Blondelli pro Hieronymi sententia Apologiam*, & pleraque *Johannis Dallæi* opera primus confutaverit, & disceptatas ab aliis quæstiones novo ordine expenderit, aut novis argumentis illustraverit, ex aliorum scriptis direptam & compilatam esse negat. Deinde haud minus inficiatus, se dissertationem suam de Vulgata Versione ex *Grotio*, *Waltono* & aliis Hæreticis

exſcripſiſſe, objectum plagii crimen in Fraſſenium retorquet, quippe qui disquiſitiones ſuas biblicas ex *Waltono*, *Morino*, *Buxtorfio*, *Huetio* & aliis, æque ac olim Ordinis ſui Frater *Galatinus* Arcana ſua ex *Raymundi* Dominicani pugione, corraſerit & compilarit. Tum ad ipſam Vulgatam Verſionem accedit, & ſe *Tridentinæ Synodi* decretum ſancte revereri proteſtatur, quæ Vulgatam Verſionem ut authenticam recipi decernat, non quod eam Hebraicis & Græcis Fontibus, ſed tantum reliquis Verſionibus Latinis anteferendam arbitretur, quam ſententiam Tridentinæ Synodi decretis conſentaneam eſſe *Alphonſi Salmeronis*, qui Tridentino Concilio interfuit, nec non *Andreæ Vegæ* & aliorum Theologorum teſtimoniis confirmare nititur; eorum zelum, qui poſt *Sixti V.* & *Clementis VIII.* emendationes Vulgatam Verſionem alicujus mendi arguere nefas exiſtimant, intempeſtivum aſſerens, cum *Innocentio* XI. poſt *Clementem* VIII. idem liceat, quod poſt *Sixtum* V. *Clemens* VIII. licere ſibi ſtatuit. Addit etiam, quam falſum & ridiculum ſit Fraſſenii principium, Fontes Hebraicos & Græcos tam corruptos, & Verſionem Vulgatam tam correctam pronunciantis, ut Fontes potius ex Verſione quam hanc ex Fontibus emendari debere cenſeat.

Porro his generalibus præmiſſis ad ſpecialem ſingulorum locorum, quæ in diſſertatione ſua mendoſa & correctionis indiga animadverterat enumerationem progreditur, & obſervationes ſuas contra cenſoriam Fraſſenii virgulam tueri ſatagit. Poſtremo etiam doctiſſimi Abbatis *Petri Danielis Huetii*, paſſim in Fraſſenianis disquiſitionibus traducti cauſam agit, & ſimul ad ea, quæ in fine disquiſitionis de Vulgata Verſione contra ejusdem Cenſores durius dicta ſunt breviter reſpondet.

CARNIOLA ANTIQUA & NOVA,

ſive inclyti Ducatus Carniolæ Annales Sacro-prophani, ab orbe condito ad noſtram usque ætatem, per annorum ſeriem Chronographice digeſti in duos tomos, Autore Joanne Ludovico Shœnleben, Carniolo Labacenſi SS. Theolog. Doctore, Protonotario Apoſtolico.

Labaci Anno M DC LXXXI. in fol.

DE patria ſua bene mereri, qui illius famam temporum injuria obſcuratam illuſtrare ſatagunt, ſuo exemplo nuper docere voluit

Dn.

Dn. D. Joannes Ludovicus Schœnleben. Etenim videns ipse nullam fere in cultiori Europa regionem inveniri, quæ non suum nacta scriptorem, nominis aliquam celebritatem consecuta sit, animum appulit ad CARNIOLÆ, patriæ suæ historiam hactenus orbi fere ignotam, e tenebris eruendam; itaque evolutis & collatis IX. MSC. Chronicis & plus centum scriptoribus *aliis* in margine operis allegatis, passimque notatis Megiseri, *Aventini* & aliorum erroribus, qui partem historiæ hujus attigerant, *eandem* conponere aggressus est. Præmissis Carniolæ antiquæ, *sive* partis Norici & Carniæ, Japudiæ & Histriæ antiquæ tabulis Chorographicis, totum *opus* in *tres partes* divisit. In PRIMA Carniolæ antiquæ statum delineat, inquirens in varia ejus nomina, incolas, limites, situm, urbes, oppida, vicos, colonias, montes, fluvios & lacus. Inter urbes antiquitate eminet *Æmona*, que hodie Labacum dicitur & Carniolæ metropolis. Dum montes *Cap.* IV. attingit, Alpium varia nomina & divisiones exponit, notans *Cluverium* qui Carusadium & Carvancam, imo & Ocram, unum eundemque Alpium tractum esse statuerat, errasse. Inde pergens, singulare naturæ miraculum describit, *Lacum Circknicensem* puta, veteribus *Lugea palus* dictum, in quo quotannis, & quidem eodem in loco, agricola fœnum & messem expectat, venator lepores indagat & capit, piscator pisces extrahit varios, inprimis lucios sæpe duos & ultra cubitos longos, librarum quindecim, viginti & amplius; non vano argumento lacus subterranei, extremo autumni tempore & subinde etiam veris initio erumpentis ac vallem hanc inundantis. Non procul ab lacu *Lugea specus* observatur, quam inter montis cavernas existentem, si quis subierit, murmur illico fluvii ingentis audit, & quod magis mirere, ultra milliare Germanicum eam protendi, juxtaque fluvium, qui navigabilis esse dicitur, latam satis viam patere scribit, qua cum stupore tandem emensa, ad saxa prærupta perveniatur, quæ gradum sistere longius progredi volentem jubeant. *Autor* historiæ hujus, tellurem terræ motu concussam, montesque duos fluvium ambientes concidisse, ac admirandam hanc effecisse specum existimat. In V. *Cap.* antiqua nomina locorum Carniolæ vicinorum recenset, quæ veteris Geographiæ partem illustrant. Hinc *Cap.* VI. de antiquæ Carniolæ populis, inquilinis & eorum migratione agit: ut sunt Aborigines, Japides, Hyperborei, Celtæ, Pannones, Taurisci, Norici, Romani, Vandali, Gothi, Longobardi,

Sclavi, Avares, Hunni & denique Franci. *Cap.* VII. antiquas Inscriptiones Latinas, tam quæ Labaci, quam quæ extra urbem in locis vicinis leguntur, annotat. *Lazius* quidem ante jam aliquot earum descripserat: verum *Autor* hic non solum quædam in illis perperam descriptis notavit, sed & novas ipsi communicatas adjecit.

PARS II. continet rerum inde ab orbe condito usque ad nativitatem Christi gestarum compendium, in morem Chronici vulgaris digestum, adscriptis in margine autoribus, quorum testimoniis uti voluit.

PARS III. annexa, quæ a nato mundi Salvatore, per mille annos ad Ottonis III. Imperatoris ætatem acciderunt, in compendio memorat, adspersis quæ ad Carniolæ & vicinarum gentium historiam faciunt.

MEMOIRES DU CHEVALIER DE TERLON pour rendre conte au Roy de ses Negotiations, depuis l' année 1656. jusqu' en 1661.

A Paris, A. M DC LXXXI. in 12.

Equitis Terlonii Commentarii, quibus rationem Regi negotiationum suarum ab anno 1656 ad annum usque 1661 reddit. Parisiis, 1681.

Quantam id generis Commentarii, quibus legationis a se administratæ narrationem complecti Oratores consueverunt, utilitatem & illis afferant, qui ad Civilem prudentiam aspirantes, negotiorum publicorum rationem ac momenta, ipsarumque Rerumpublicarum statum præsentem, nosse intimius desiderant: & iis etiam, qui justos Annales componere, ac rerum gestarum Historiam non ex vulgi sermonibus, sed authenticis fideque dignissimis monumentis posteritati tradere moliuntur, ignorat nemo. Nec quisquam inficiabitur, in ejusmodi Legatorum de rebus a se in curando munere gestis Relationibus, quæ apud plerasque gentes publico usui subductæ in scriniis inter secretissima recondi solent, publici juris faciendis, Gallos inprimis faciles esse: ut, quemadmodum consulta sua ac destinationes clausas tenent summoque studio occultant, ita rerum jam peractarum exactam notitiam invidere nemini velle videantur. Utique non Acta

tantum publica sua in volumina diligenti studio collecta, ut usui esse justam Historiam condituro possint, (*Recueils de diverses pieces pour servir a l' Histoire*) sed & Oratorum Regis Galliæ commentarii Historiam peractæ legationis continentes magno in Gallia numero prostant; ut tot subsidiis publice jam paratis, quæ alibi ex archivis magno labore conquirenda sunt, & ægre admodum e latebris extrahuntur, nullius gentis Historiam, quam Gallicæ, sincerius, exactius, & faciliori negotio componi posse palam sit. Aliorum itaque exemplum secutus Eques *Terlonius*, cum Nuntii primum Extraordinarii, post Legati Ordinarii ad *Daniæ*, Sueciæ, Poloniæ Reges munere, ab a. 1656 ad a. 1661, eo nempe tempore, quo Septentrio atrocissimis bellis flagravit, functus esset, ac non hostilium tantum actionum spectator ac observator industrius fuisset, sed & in pace inter belligerantes componenda præcipuas partes egisset, commentarios hosce edendi consilium cepit, eadem opera & Regi Christianissimo rationem redditurus gesti muneris, & Historiarum civilisque prudentiæ cupidis consulturus.

Auspicatur opus hoc ab itinere in Poloniam a. 1656 a se suscepto, ut ad Carolum Gustavum Sueciæ Regem Polonico tunc bello occupatum munera a Rege suo deferret; cumque illa tempestate Sueci ac Transylvani socias adversus Polonos vires junxerint, fæderis illius ortum ac momenta, exercitus utriusque robur, Caroli Gustavi Sueciæ Regis & Ragozii Transylvaniæ Principis congressum, eorundemque post armorum conjunctionem gesta, Sueciæ denique Regis felicem eventu in Germaniam, ut novo hosti Dano mature occurreret, Ragozii infelicissimum in Transylvaniam regressum, uberius recenset. Inde quæ in Electoris Brandenburgici Aula sibi obtigerint, quibusque causis impulsus Elector pacem cum Polonis, desertis Suecorum partibus, admiserit, enarrat; quæque ipse, postquam defuncto Lubecæ *Comiti d' Avaugour* in ordinarii ad Septentrionis Reges legati munere suffectus, ac paci inter partes bellantes componendæ incumbere jussus esset, in pacis promovendæ negotio dixerit, scripserit, egerit, sic commemorat, ut utriusque belli Sueco-Danici Historiam passim intertexat; adeoque auspicatissimam Sueciæ Regis in Danicas provincias irruptionem, pacem Danis tantum non imperatam, bellum a Caralo Gustavo Sueciæ Rege adversus Danos redintegratum, Hafniam obsessam, suppetias afflictis Danorum

rebus

rebus a Cæsare, Brandenburgico Electore, Batavisque latas, verbo, belli totius cursum ac fata describat. Redit inde ad pacis multo tandem labore stabilitæ Historiam, ac qua eam ratione in Poloniam profectus inter Suecos primum ac Polonos eorumque Fœderatos promoverit, insertis literis quamplurimis eam ob causam ultro citroque datis; quomodo item redux in Daniam factus Tractatus pacis inter Danos ac Suecos una cum Anglicis ac Belgicis Legatis instauraverit, ac ad felicem tandem exitum, etsi post Caroli Gustavi demum fata perduxerit, commemorat. Denique cum & Regni Suecici comitiis post excessum Caroli Gustavi celebratis *Terlonius* amplissimo, ut ante, Legati Gallici munere insignis interfuerit, quæ istis in comitiis tum de regimine, donec Rex minorennis adolesceret, constituendo, tum de Regina Christina, quæ in Regnum nuper redierat, actitata fuerint, explicat, subjecto defuncti Regis Caroli Gustavi Elogio ac charactere: indeque Friderici quoque III *Daniæ* Regis, Regiæque Domus adornata delineatione, mutatam Regni formam, quod ex electitio hæreditarium factum est, recenset, finemque libro Historia reditus sui ex Dania in Galliam, ubi a Christianissimo Rege gratiose exceptus est, imponit.

DISSERTATIO EPISTOLARIS, DE OBservationibus circa curationem Variolarum confluentium, nec non de Affectione Hysterica.

Per Thom. Sydenham M. D. Londini, 1682. in 8.

EGerat jam pluribus *Autor in Observat. circa Morb. acut. Hist. & Curat.* de Variolis, quas *Confluentes* vocant, eæque in quantum & essentia & periculo a *Discretis* differant, *p. I. s. 3. c. 2. p. 166. & s. 4. c. 6. p. 282.* docuerat: quæ tamen novis quibusdam observationibus illustrare, quin & de Passione Hysterica quædam adjicere, *a Guil. Cole*, M. D. per Epistolam invitatus, præsenti in dissertatione satagit.

De Variolis Confluentibus duo principaliter monet. 1. Regimen calidum ægrorum, eorumque ante sextum morbi diem, & ante quam variolarum examen omne in conspectum se dederit, decubitum, (nisi interdum symptomata vehementiora ad id cogant) omnino rejicit. 2. Syrupi de meconio, seu diacodii & crebriorem & copiosiorem usum sub variolarum suppuratione persuadet. Quoad prius punctum

ctum, supponit materiæ Variolosæ (ab ipso sic dictæ) cum sanguine assimilationem, adeoque hujus infectionem, illius multiplicationem omni ope prohibendam esse. Assimilationem vero hanc nulla re magis promoveri, quam si æger intempestive, ante sextum diem lecto se addicat: Siquidem hoc modo, non secus ac ab ægri natura spirituosiore, vel a medicamentis cardiacis & spirituosis, fermentum plus debito exaltetur, sanguis vero ad excipiendas profundius morbi impressiones disponatur. Adeoque curationis fundamentum a primorum dierum regimine dependere; si vero calidorum, & præsertim lectuli usu spirituosæ particulæ acuantur, necesse esse, assimilandi earum facultatem hoc ipso roborari, variolas copiosiores hinc efflorescere, & ægrum in majori vitæ periculo versari. Quoad posterius punctum notat, post sextum morbi diem pustulas augeri, corpus, præsertim caput, ab iisdem calefieri, & maturando suppurari, & ita febrim secundariam tali occasione incendi, ex qua subinde ingens ægro periculum circa XI præsertim morbi diem immineat. Cum vero quo sedatior sanguis & spiritus, eo melius procedere omnia soleant, ob id remedia anodyna, & hæc inter syrupum de meconio ad ℥j usque ad ʒx sæpius reiteratum esse omnium optimum, idque inprimis ultimis & periculosissimis morbi diebus. Quæ omnia rationibus & observationibus, ut & objectionum resolutionibus confirmare nititur.

Pergit postmodum ad *affectus Hystericos*, chronicorum omnium ipsi frequentissimos, & quos eosdem cum affectionibus hypochondriacis marium esse asserit: in qua sententia, cum *Fr. de le Boe Sylvio* celebri Medico, amice conspirat, ut passim ex libris hujus Practicis constat, & qui ob id *suffocationem hypochondriacam*, quam *Hystericam*, istud malum complicatum appellare maluit. Præmittit affectuum dictorum Historiam, secundum insignem symptomatum varietatem notabilem, quæ omnia, tanquam a causa proxima, a spirituum animalium ataxia seu vitiosa dispositione, cujus ratione ex impetu illorum inordinato in hanc vel illam partem spasmi & dolores excitentur, & organi tam illius, in quod se ingerunt, quam istius, a quo abscedunt functiones pervertantur, pendere statuit, id quod speciali symptomatum fiendi modo, pluribus declarat. Propius accedit hic *Willisio*, qui pariter in *Pathol. Cerebri, & Nervos. generis Specim. c. X.* pathemata hysterica ad affectus convulsivos, & in quibus cerebrum & nervosum ge-

nus inprimis afficiantur refert, causam vero proximam non tam spiritibus ipsis, quam potius copulæ explosivæ heterogeneæ a sanguine suffusæ, cum spiritibus per processus nerveos derivatæ, attribuit. Præmissa ista theoria, Curam Practicam ponit in sanguinis corroboratione, ut spiritus ex illo geniti, invigorati, correcta eorum ataxia, tenorem totius corporis, & singularum partium œconomiæ competentem, denuo acquirant. In quem finem martialia, præsertim martem crudum, & syrupum de Marte, ceu expertissima, non neglectis cæteris hystericis & fœtidis commendat: utut ægris quibusdam, aliis irritis, curam lacteam, aliis diuturniorem equitationem proficuam observavit. Generali huic, specialem paroxysmorum atrocium, & symptomatum graviorum per opiata præsertim instituendam curam subjungit, ut & quomodo tractandæ sint puerperæ, passionibus hystericis correptæ, ut quod ipsis imminet, vitæ periculum effugiant.

G. G. L. MEDITATIO DE SEPARATIONE Salis & aquæ dulcis, novoque Separationum Chymicarum genere.

SEparatio æquæ dulcis, salisque in ea contenti duplicem scopum habere potest: vel enim quærimus aquam dulcem, neglecto sale, ut navigantibus succurramus, vel contra quærimus salem neglecta aqua dulci, ut sumtus minuamus, qui in ignem sunt impendendi, cujus vi aqua evaporat, quod non exiguum in illis regionibus usum haberet, quibus Sol hoc ministerium non satis præstat.

Quod primum attinet, aquam dulcem potui satis aptam ex marina obtineri posse distillatione, non Linschotani tantum, sed & aliorum multorum relatione constat. Et putem eum in usum furnos inveniri posse admodum compendiosos, & exiguæ materiæ combustilis indigos, quales nondum adhibentur. Præcipitari salem posse scio Zinco, lapide calaminari & similibus, quin etiam Saturnus hic aliquid præstat. Sed simplicissimam obtinendæ aquæ dulcis rationem esse puto percolationem. Experimentis enim constat, etiam vino & urinæ aliisque liquoribus repetita per simplex sabulum transmissione adimi non tantum colorem, sed & saporem. Et cum in Galliis essem, vidi genus lapidis, qui prima statim vice, liquores insipidos transmittebat; credoque adhuc vivere, qui locum indicare possit. Et ut aqua

salsa

salsa facilius per majorem sabuli copiam percolaretur, & perinde statim prima vel ad summum altera vice purificaretur, posset adhiberi machina comprimens vel sugens. Quod si cui placeret loco simplicis sabuli adhibere Lithargyrium, vel aliam Saturni calcem, res forte adhuc melius succederet. Cæterum ex his occasio mihi nata est cogitandi *de novo quodam Separationis Chymicæ genere*. Ponamus liquorem per sabulum vel commune vel peculiare, aliudve corpus sæpe transmitti, donec vim amiserit: dubium nullum est, quin sabulum aliquo sale, si ita dicere licet, essentiali ipsius liquoris futurum sit imprægnatum. Eliciatur Sal iste rursum ex sabulo, superfusa aqua communi, & aquæ defusæ parte deinde evaporante, congeletur in crystallos, aliave ratione ad siccitatem revocetur. Ne vero putet aliquis frustra aquam sali, ex sabulo eliciendo, reddi, quam percolatione prius ab eo separavimus; sciendum est, hac ratione magnam salis copiam antea in multo liquore dispersam, nunc concentrari in tam exiguum, quantus ad eum solvendum sufficit; deinde multum interesse inter aquam priorem ipsi vino vel alii liquori ingenitam, quæ salem hunc sibi cognatum non ita facile dimisisset, & inter aquam communem, nunc affusam, quæ salem hunc essentialem ut nunc primum attraxit, ita mox libenter derelinquit. Si quis etiam omissa elixatione experiri volet, quid distillando salem ex sabulo, aut sabulum vitrificando esset proditurum, multa haud dubie nova deprehenderet, quasdam etiam forte peculiares terras produceret. Ita ope hujus subtilis percolationis, novam multorum corporum analysin habebimus, ingentemque materiam utilium experimentorum.

Superest ut de secundo capite dicam, separatione scilicet salis ex aqua, ipsa aqua neglecta. Hæc separatio pluribus modis reddi potest facilior, quorum partem jam attulimus, nam illi ipsi furni compendiosi minore sumtu aquam in vaporem vertent; deinde si percolatione sal in sabulo relictus habeatur, elixatione concentrabitur in aquam multo priore ditiorem, adeoque facilius incoquendam. Sed ut nunc mittam Solis aerisque auxilium non satis adhibitum, suffecerit dici, quomodo aqua sequestrari possit simplici motu, sine ullo igne. Fundamentum hujus meditationis mihi præbuere illæ salinæ, quas vocant LECK-WERCKE, ubi magna aquæ sylvestris sive heterogeneæ pars, Sulciæ sive Solæ quam vocant mixta, motu lapsuque dissipatur.

 Sed

Sed perfici operationem posse cogitavi, cum considerarem folles illos notos, qui a vento ex aqua per lapsum generato, flatum habent. Inde enim manifeste sequitur, si aqua salsa semel delapsa & per machinam iterum elevata, denuo decideret, denique omni aqua in vaporem versa, solum salem in fundo remansurum. Has meditationes, quas alii forte secretas haberent, ex multis aliis excerptas, publico impertiri volui, ne forte casu aliquo intercidant.

EXCERPTA EX EPISTOLA DN. JOANNIS HEVELII, Gedano Lipsiam missa d. 17. Nov. st. n. a. 1682.

I. De Variatione Acus Magneticæ.

Confer Acta Anglicana Mens. Oct. Anno 1670. & Actorum horum mens. Aug. p. 258.

GRatias autem omnium primo Tibi habeo, quod inter alia etiam illam Epistolam invitatoriam ad observationes Magneticæ Variationis instituendas mihi transmittere volueris. Lætor ex animo, quod & alii mecum statuant, plurimum conducere & Rei Literariæ & Nauticæ, ut hocce negotium conjunctis viribus funditus pervestigetur. Ego quidem antequam hanc Epistolam accepissem, sponte tamen mea, die sc. 20 Junii st. n. circa ipsum Solstitium æstivum, cum intra aliquot annos debite declinationem magneticam haud investigassem, observationem istam rursus summa diligentia institui, non solum illa acu magnetica, quam ante quadraginta jam annos istis observationibus adhibui, sed plurimis diversissimis. Inveni autem declinationem hoc anno esse 8 gr. 45 vel 52 min. occasum versus, quæ anno 1670 d. 22 Junii deprehensa est 7 gr. 20 min. hic Gedani: uti ex Epistola *ad Cl. Oldenburgium Ill. Reg. Societatis Secretarium*, quæ in *Actis Anglicis* Anno 1670 m. Oct. invenitur, liquet. Cum autem inter alia ibi professus sim: *Unde mihi subolet, motum hunc annuum hoc tempore quasi decrescere: præsertim cum ex meis observationibus annorum 42, & Anno 1670 habitis, liquidum sit, hunc motum tantummodo nunc esse 9 min. 6 sec:* In hac opinione nunc magis magisque confirmor, ex hujus anni 1682 observatione, motum sc. hunc annuum plus plusque de-

decrescere. Nam 12 annorum spatio 1 gr. 25 min. declinatio hic Gedani tantum diminuta nunc est. Quousque autem decrescet, an suo tempore futura sit circa limites plane stationaria: an vero continuo motu, & ubique plane uniformi sit progressura, subsequentium annorum observationes docebunt. Quare & meo nomine omnes harum rerum obstrusarum cultores obnixe rogatos volo, ut quilibet suo loco ad ea omnia accurate attendat, inprimis ut limites hujus progressionis recte ubique detegi possint. Nam motum hunc Magnetis suo tempore rursus orientem versus progressurum, nullum apud me est dubium.

II. De Cometa Anno 1682 mense Augusto & Septembri viso.

Nuperus Cometa etiam a me pro viribus, quoties temperies tantum aeris indulsit, hic Gedani ex nova mea Specula, novisque meis Organis observatus est; plurimas etiam tam distantias a plurimis Fixis, quam Cometæ Altitudines Meridianas notavi; quas autem omnes hic recensere, nimis longum foret, nec vacat eas rigidiori calculo subjicere; tota historia rejicienda erit eousque, donec *Annum Climactericum*, atque *appendicem Observationum mearum* post *Part. II. Mach.* meæ *Cœlestis* impetratarum sum editurus. Sufficiat hac vice dixisse, Cometam hunc Gedani die 25 August. st. n. primum detectum, atque a die 26 Aug. ad 17 Septembr. quoties tantum serenitas permisit, debite summaque cura a me observatum esse, tam mane quam vesperi, imo etiam per aliquot continuas noctes, cum existeret pernox: qua via autem, qua velocitate, sub quo angulo Orbitæ ac Eclipticæ progressus fuerit, ex adjecta Tabella patet; quam tamen non ex accurato calculo, sed ex Globo tantummodo laxiori modo concinnavi, cum sublimiora studia in edendo novos Globos cœlestes meos, cum Catalogo Fixarum, & quæ eo pertinent, id minime permittant.

Anno 1682. Menſ. D	Hor. /	Longitud. Cometæ. S. o. /	Latitud. Cometæ. o. /	Motus in prop. Or. o. /
Aug. 26.	3. 0. M.	3. 23. 30.	21. 0. B.	
27.	11. 0. V.	4. 5. 0.	23. 30.	10. 0. fer.
30.	3. 30. M.	4. 18. 0.	25. 20.	13. 20:
30.	9. 0. V.	4. 22. 0.	25. 40.	3. 30.
31.	3. 30. M.	4. 24. 30.	26. 0.	2. 20.
Sept. 1	3. 30. M.	5. 1. 0.	26. 0. fer.	5. 45.
1.	9. 0 V.	5. 6. 0. f.	25. 40.	4. 45.
3.	8. 30. V.	5. 20. 0. f.	24. 30.	11. 30.
6.	9. 0. V.	6. 5. 0.	20. 30.	15. 0.
8.	8. 0. V.	6. 12. 0.	18. 15.	8. 0. fer.
9.	8. 30. V.	6. 15. 30.	17. 15.	3. 30.
10.	8. 0. V.	6. 18. 30.	15. 45.	3. 0. fer.
12.	8. 0. V.	6. 23. 0.	14. 0.	5. 0.
13.	7. 30. V.	6. 25. 0.	13. 30.	2. 0.

Notanda.

Nodus Boreus in 24 gr. Tauri, & Nodus Auſtrinus in 24 gr. Scorpii; Limites vero in 24 gr. Leonis & Aquarii extiterunt. Angulus Orbitæ & Eclipticæ fuit 26 gr. fere. Utrum autem toto durationis tempore omnino conſtans cum Nodis extiterit, an vero & quousque variaverit, ut ſæpius fieri ſolet, ex calculo patebit.

En motum diurnum aliquanto accuratiorem ad aliquot dies:

Menſ. dies Veſp.	Mot. Com. diurnus. o.	/	Menſ. dies Veſp.	Mot. Com. diurnus. o.	/
Aug. 26	5.	28.	Sept. 5.	5.	24.
27.	5.	35.	5.	5.	0.
28.	5.	41.	6	4.	30.
29.	5.	46.	7.	4.	0.
30.	5.	50.	8.	3.	30.
31.	5.	46	9.	3.	0.
Sept. 1.	5.	43.	10.	2.	40.
2.	5.	40.	11.	2.	20.
3.	5.	34.	12.	2.	0.
4.			13.		

Sic ut motu ſuo proprio in orbita ſua confecerit a die 26 Aug. ad 13. Sept. veſp. 83 gr. 27 min. & in Ecliptica 91 gr. 30 min. Latitudo vero Borealis creverit ad 6. gr. rurſus decreverit 12 gr. 30 min.

De

TAB. XX ad A. 1682. pag 391.



De Capite & Cauda hæc referenda habeo: quod nimirum caput toto durationis tempore lucidius, quam iste Anno 1681, ac aliquanto etiam majus, e contrario multo breviorem caudam exhibuerit. In ipso capite, beneficio longioris Telescopii, non nisi unicum nucleum figuræ ovalis, & a superiori parte gibbosæ constanter notavimus; nisi quod die præsertim *8 Sept.* ex dicto nucleo clarissimus simul radius ex parte etiam *incurvatus* in caudam exiret; quod ut notari meretur (cum ejus *generis* faciem in nullo adhuc Cometa, quantum memini, *observaverim*) sic lubens hic faciem Capitis & Caudæ delineatam dare volui. Præterea sciendum, quod nonnunquam, ut d. 30. August. TAB. XX. mane factum, caudam satis præcise in oppositum Solis direxerit; sed sæpius etiam notabilem deviationem (prout in plurimis Cometis fieri solet) exhibuerit. Longitudinem quoque Comæ non semper eandem conservavit: initio Cauda 12 fere grad. videbatur, deinde nonnunquam brevior, etiam interdum longior ad 15 & 16 gr. extitit; circa finem vero quotidie diminuta est.

III. De Phænomeno quodam circa Auroram deprehenso.

Die Mercurii, 28 Oct. Hora 9 vespertina, Aurora Borea Notozephyrum versus hic Gedani apparuit, diversissimos, longissimos, fulgentissimosque radios sursum projiciens, ac si caudæ essent trium vel quatuor diversorum eximiorum Cometarum. An phænomenum hocce & simul alibi, uti nonnunquam fieri solet, visum fuerit, haud abs re esset cognoscere. Nam interdum plurimis in locis simul ejusmodi phænomenum conspicitur: prout anno 1621, d. 12 Sept. obtigit. Quod non solum *Clariss. Petrus Gassendus* Peynerii in Provincia, circa Aquas-Sextias, deprehendit; sed in tota fere Gallia, tam ad Austrum, quam Aquilonem, Orientem & Occidentem eo ipso tempore fuit observatum; ut legere est in Philosophia Epicur. p. 1137, 1138.

NOVA METHODUS TANGENTES CURvarum expedite determinandi, per D.T.

QUantus sit Tangentium usus, iis constat, quibus perspectum, quod dum Tangentes curvarum determinantur, eo ipso etiam quadraturæ spatiorum curvilineorum exhibeantur; quapropter Me-

thodi

thodi universales Tangentes determinandi, a Præstantissimis Mathematicis inventæ. Sed quia utplurimum prolixum admodum requirunt calculum, optime Geometriam promovent, qui in re tanti usus singularem facilitatem suppeditant, quod inprimis *Dn. Slusius* generali ac admodum simplici regula effectum dedit.

Unde cum in Regulam, quæ multo adhuc universalius ac simplicius, ac ulla hactenus exhibita, Tangentes determinat, inciderim, rerum harum peritis eam non denegandam esse credidi.

TAB. XXI Fig. I. Sit *In Schemate I.* curva quæcunque Geometrica BDE, prout eas *Cartesius* vocat; BC abscissa, æqualis x; ordinatim applicata CD, æqualis y; linea determinans Tangentem AB sit æqualis t: detur porro hujus curvæ natura quæ sit ex. gr. talis, ut $y^3 + x^3 + xxy$ sit æqualis $xyy - a^3 + aay - aax + axx - ayy$. His ita positis, ordinentur termini hujus æquationis hac ratione, ut maxima potestas ordinatim applicatæ CD, seu y sit ab altera parte æquationis: hinc jam erit $y^3 = -x^3 - xxy + xyy - a^3 + aay - aax + axx - ayy$. Transposita vero y^3 cum signo $-$ omnes termini ponantur æquales nihilo, seu o.

II. Fiat fractio, ejusque Numerator hac ratione. Termini, quibus cognita quantitas adhæret, omnes assumantur cum suis signis, & si eadem sit unius dimensionis, præfigatur illi termino unitas; si duarum, binarius; si trium, ternarius, & sic porro: eritque in præsenti exemplo Numerator $-3a^3 + 2aay - 2aax + axx - ayy$.

III. Denominator constituatur hac methodo: Assumtis iis Terminis, in quibus abscissa x occurrit, retentisque signis, si quantitas x sit unius dimensionis, præfigatur, ut supra, unitas, sin duarum, binarius; & erit $-3x^3 - 2xxy + xyy - aax + 2axx$: his vero singulis unica x diminutis denominator erit $-3xx - 2xy + yy - aa + 2ax$.

Dico; hanc Fractionem æqualem esse quantitati *AB*, atque adeo in præsenti exemplo $t = \frac{-3a^3 + 2aay - 2aax + axx - ayy}{-3xx - 2xy + yy - aa + 2ax}$ Atque sic facili & universali via omnium curvarum geometricarum Tangentes exhibentur.

Fig. 2. Ulterius autem ostendam, eadem methodo infinitarum curvarum ex mechanicis Tangentes determinari. Sit enim, *in Schem. II*, quæcunque curva BDE, ac ponatur portio ejus BD æqualis x; DF vero sit

sit æqualis y; formeturque quæcunque curva BF, ex. gr. juxta priorem æquationem $y^3 + x^3 + xxy = xyy - a^3 + aay - aax + axx - ayy$: ad determinandam ergo Tangentem AF, curvæ BFG sic progredior. Assumatur Fractio juxta antecedentia, eique addatur quantitas x; eritque productum hoc æquale AD portioni Tangentis curvæ BDE, ac proinde

In præsenti casu, si ducatur AD curvam BDE tangens in D, ac assumatur æqualis $\frac{-3a^3 + 2aay - 2aax + axx - ayy}{-3xx - 2xy + yy - aa + 2ax} + x$, ducta recta AF tanget curvam BFG in puncto F. Eadem Methodo cycloidis ac infinitarum curvarum mechanicarum Tangentes admodum expedite determinantur, viaque adeo universali, ut ubi hactenus, per quamcunque Methodũ analyticam, saltem unius curvæ exhibetur Tangens, hic semper una eademq; opera infinitarum curvarum Tangentes determinentur: infinitæ enim curvæ loco curvæ BDE possunt supponi, ut tn. Tangens semper determinetur per $AD = \frac{-3a^3 + 2aay - 2aax + axx - ayy}{-3xx - 2xy + yy - aa + 2ax} + x$ posita natura curvæ BFG tali, ut sit $y^3 + x^3 + yxy = xyy - a^3 + aay - aax + axx - ayy$; & curva BD = x; recta DF = y.

Demonstrationem horum omnium suo loco exhibebo, quam tamen unusquisque vel leviter in Analyticis versatus ex hactenus exhibitis Methodis *Cartesii*, *Fermatii*, *Slusii* &c. facile poterit elicere.

CHYMIA EXPERIMENTALIS CURIOSA ex Principiis Mathematicis demonstrata, Auctore Joh. Helfrico Juncken.

Francofurti apud Herm. a Sande, 1681. in 8.

CHymiam, præstantissimam fere Medicinæ partem, Auctor hic hactenus sub densa nube delituisse observans, nulloque autore publice existente, (prout in præfatione ad Lectorem edisserit) qui ipsius desiderio satisfaceret, & quasi nucleum nobilissimorum remediorum in compendio traderet, eo se adductum sensit, ut proprias ingenii vires excuteret, manum ipse operi admoveret, hincque Chymiam Experimentalem adornaret. Ne autem hæc, instar gemmarum aut metallorum

intra viscera magnæ matris reconditorum, privatis saltem usibus servata, inutilis nulliusque commodi existeret, Experimenta sibi congesta sub nomine *Chymiæ Experimentalis curiosæ*, in salutem Reipublicæ Chymicæ promovendam, Posteritati nuncupare voluit.

Totum scriptum *Sectionibus septem* complectitur, quarum *Prior* Artis hujus Fundamenta, i. e. principia, instrumenta & operationes, subjectum & exin parabilia, describit ac recenset: *Altera* animalium horumque partium, *Tertia* vegetabilium, *Quarta* mineralium examen atque analysin & ex his producta exponit, ita quidem ut hujus capiti ultimo de Auro, panacæarum nonnullarum præparationem subnectat. In *Sexta* Medicamentorum singulariorum, sc. Digestivorum, Purgantium, Diureticorum, Cephalicorum, Odontalgicorum, Pectoralium &c. formulas varias recenset Noster: *Septima* remedia generosiora morborum externorum, & inter hæc Chirurgicas quasdam Operationes, v. g. Repositionem herniarum, Labii leporini sectionem, concedens, simulque modum balsamandi cadavera cum Cosmeticis variisque miscellaneis, Medicinam æque ac Mechanicas artes spectantibus, it. de usu Acidularum, & observationibus Astrologico-Medicis ex Abd. Trevv, loco Appendicis adjiciens.

NEVV EXPERIMENTS AND OBSERVAtions, made upon the icy Noctiluca, to vvich is annected a Chymical Paradox, by the Honour. Rob. Boyle.

h. e.

ROBERTI BOYLII OBSERVATIONES & Experimenta nova, circa Noctilucam Glacialem, quibus annectitur Paradoxon quoddam Chymicum.

Londini $168\frac{1}{2}$. in 8.

PRæmissa appendice observationum nonnullarum ad Noctilucam Aeream, de qua Cal. Febr. pag. Act. 53. egimus, pertinentium, pergit Nobilissimus Autor ad Noctilucam solidam, (cujus præparatio, ut in aerea

aerea, non æque addita est) quam *glacialem* vocat, idque ex eo, quod subinde frustulorum ejus quædam perspicua & sine colore, adeoque instar tenuium glaciei fragmentorum appareant. Hujus primum considerat *proprietates*, primario quidem, quod in aere libero lucendo, insignem fumorum copiam spargat, qui cum luce evanescant, simul ac aquæ submergatur. Ne itaque continua illius fieret jactura, sub aqua illam conservavit. Aqua hæc, ut ut vix sensibiliter a contenta Noctiluca alteretur, evaporando tamen residuum gelatinosum suggerit, quod intensiori igni admotum, crepitando insigniter, explosiones crebras cum fulgurationibus igneis & lucidis emittit. Tentavit postmodum Noctilucæ hujus *solutiones*, observando, quod nec aqua simplex, nec spiritus urinosi, nec spiritus minerales acidi eam dissolvant, bene autem olea quædam, calore cinerum adjuta, illud præstent, ut oleum therebinthinæ, sed sine lucis participatione, oleum cinamomi, cariophyllorum, cum lucis susceptione, oleum vero macis & anisi illam haud attingant. Nec spiritus vini solvere eam valet, nisi tandem admodum & calore adjutus: impraegnatur tamen insensibiliter particulis luciferis, adeo ut si ejusdem guttæ quædam aquæ vel frigidæ vel calidæ instillentur, mox sub contactu mutuo, coruscationes lucidæ, perquam vividæ, ast brevi evanescentes, appareant, ut ita subito in aqua communi lux produci queat, ab alio quamvis non lucido liquore. Cujus Phænomeni occasione Autor *subtilitatem* particularum Noctilucæ scrutari conatur, dum ex S. V. ita impraegnati cum aqua simplici copiosiore mistura, & totius compositi clara effulgente luce, concludit gr. I. Noctilucæ aptum natum esse ita se diffundere, ut impraegnare valeat liquorem 100000 imo 400000 granorum, cumque lucidum reddere. Considerat hinc Noctilucæ *inflammabilitatem*, quatenus non solum chartæ inspersa, hujus sub incensione simul incenditur, cum fulguratione & strepitu instar nitri: sed etiam spiritui Vini commista, post hujus consumtionem & ipsa deflagrat. Agitatione in mortario vitreo sponte flammam concipit, ut & forti tritu ac agitatione cum aliis subjectis facile inflammabilibus, charta, sulphure, pulv. pyrio &c. adeo ut literæ chartæ inscriptæ, & lucentes & ardentes simul aliquando appareant. Phiolæ parvæ hermetice sigillatæ inclusa, igni admota, intensam lucem & actualem flammam concipit. Quoad naturam denique hujus Noctilucæ annotat, ad *acidorum* crasin & proprietates eam acce-

cedere, siquidem per deliquium soluta, præter saporis testimonium, & coralia cum impetu arrodat, & cum Sale Tartari effervescat.

Paradoxon Chymicum istis annexum, jam cum Edit. secunda Chym. Sceptic. anno 1680, cum alio tractatu, *de Producibilitate Principiorum Chymicorum* edi debuit: sed quia versio Latina tunc temporis impedita fuit, Anglice conscriptum annectere hic placuit. Estque nil aliud, quam experimentalis confirmatio eorum, quæ in Chymista sceptico fusius excutiuntur, ignem non esse genuinum analystam concretorum, nec Chymicorum principia esse talia, sed ex aliis concreta & ex iisdem alias substantias diversas posse produci, quæ in præsenti paradoxo per oleorum essentialium, primario anisi, hinc therebinthinæ, cornu cervi & succini, cohobationes illustrat, præter piceam remanentiam copiosum & phlegma & spiridum acidum ex iisdem eliciendo.

EXCERPTUM EX LITERIS AVENIONE die 12. Oct. ad Autorem Ephemeridum Gallicarum scriptis, a Dn. Gallet, Præposito Ecclesiæ S. Simphoriani Avenione, continens ejus Theoriam Cometarum.

Translatum ex Ephemeride XXVII. d. 16. Nov. 1682.

MEam, quam Tibi mitto, Cometarum Theoriam, duæ tresve, sive Cometæ, sive Maculæ Solaris, apparitiones comprobarunt. Contendo enim me ostensurum, ab una eademque Stella duo differentia ista Phænomena produci, & ipsam perpetuo eandem esse, quæ ab omnium, quas habemus, observationum, præteritorumque etiam seculorum tempore ut Cometa apparuit. Concepi hanc ideam, quinque aut sex abhinc annis, rationemque ejus Academiæ Regiæ reddidi, post observatam Maculam Solarem, quæ M. Aprili anno 1677. visa, aliquot dierum lapsu Cometa fulsit. In hac sententia postremi annorum 1680 & 1681 Cometæ me confirmarunt, nec ego de rei hujus veritate porro ambigo.

Si per Te mature adhuc, de observando sub initium proximi mensis Sole admoneantur Astronomi, notabilem visuri sunt Maculam. Ea-

Eadem hæc illa Stella est, quæ Cometas efficit, quæ solem eclipsabit. Constitui posthæc aliquando Ephemerides super hac mea Theoria condere: interim Tabulas dabo motuum mediorum, cum omnibus ad calculum Æquationum necessariis proportionibus ad legem Planetarum, qui, perinde atque *Stella* ista, super quadam Ellipsi circa Solem moventur.

Videbitur hæc novitas mira, omniumque maxime Scientissimo Astronomo *Dn. Kavinæ*, qui in *Opere super Cometam anni 1680 & 1681* impossibilia pronunciavit isthæc mea promissa; quorum non exigua esset utilitas, etiamsi non nisi ad liberandum a terroribus publicum serviret, quos talia Phænomena ciere mundo consueverunt.

OTTONIS PHILIPPI ZAUNSCHLIFFERI J. U. L. Advocati Hanovici Ordinarii Judex supplens seu Discussio de Officio Judicis suppletorio.

Marpurgi 1682. in 4.

Sicuti latissimum jus dicentis officium est: ita spatiosissimum quoq; scribendi campum nunquam non præbuit magnis quibusdam ingeniis, in quo feliciter emetiendo, tanquam in stadio virtute ac eruditione sua digno, certatim desudarent. Ut enim alios nunc omittam, qui in hac necessaria perquam & longe utilissima re operam atque industriam posuerunt, vel solius excellentissimi & cum quovis veterũ comparandi JCti, *Casparis Ziegleri*, propitia Themide elaborata *Dicastice*, in qua tota Judicis conscientia excutitur, illustri ejus potest esse documento. Horum igitur vestigia laudabili conatu pressurus Auctor, per trimestre hibernum vix præstantiori studio insumere lucernæ oleum potuisset, quam colligendis iis, quæ in Communi, Camerali, Feudali, Saxonico & Canonico, Juribus, aliisque variorum locorum Statutis ac selectissimis Auctoribus circa officium Judicis *Suppletorium* sparsim tradita sunt; ita ut hic ipse liber jure meritoque eruditi Commentarii vicem *in L. unic. C. Ut, quæ desunt Advocat. partium judex suppleat*, subire possit. Scinditur autem hic Tractatus in duas, *Generalem & specialem*, partes. IN GENERALI Auctor, præmissis quibusdam *conclus. 1. 2. & 3.* de necessitate Judiciorum, horum personis principalibus

bus pariter & accessoriis, earundemque officio, *concl. 4.* principem Thesin, cujus accuratiori evolutioni totus deinde liber consecratus est, proponit, *Judicem* nempe *omissa partium litigantium, earumque Advocati vel Procuratoris supplere debere ac posse.* Ubi, remotis primo *Conclus. 5.* iis, quæ cum hac thesi adversa videntur fronte præliari, in sequentibus docet, quod ea sint vel *Juris* vel *Facti.* Ratione *Juris* dicit, teneri Judicem supplere omissorum ea, quæ (1) sint Juris Publici, *concl. 6.* quæque (2) ad substantiandum, ceu vocant, judicium, justamque procedendi viam pertineant, *concl. 7.* (3) ea, quæ sint Juris tam Communis, ejusque vel Romani, vel Canonici, vel Feudalis, vel Recessuum Imperalium; quam Statutarii ac Municipalis, *concl. 8.* itemque (4) Juris non scripti, consuetudinis nempe cum notoriæ, tum Judici bene cognitæ. *concl. 9.* Ad *Facta* officio Judicis supplenda refert exceptiones a Partibus non quidem propositas, ex actione tamen instituta, productis instrumentis, confessione alterutrius litigantis, vel alias ex Actis apparentes, de quarum veritate Judici, ut tali, constet. *concl. 10.* quæ omnia locum habeant, sive præjudicium Partibus inde fiat, sive non, *concl. 11.* Tandem *concl. 12.* affirmat, esse quædam, quæ quidem Judex supplere possit, non tamen præcise teneatur, itemque alia, quæ Partes agere nequeant, hincque a Judice sint supplenda, quorum exempla in subjectis §§. non parca manu spargit. In SPECIALI parte examinatur, quid Judex supplendo possit in singulis partibus Processus, & quidem (1) circa supplicationem pro impetrando Processu, *concl. 1.* (2) in citatione, *conclus. 2.* (3) in Advocatis, ac (4) Procuratoribus ut & Curatoribus cum dandis, tum repellendis, ac puniendis, *concl. 3. & 4.* (5) in transactione inter Partes tentanda, *concl. 5.* (6) in formando Processu *concl. 6.* (7) libellis actionum, *concl. 7.* (8) satisdationibus *concl. 8.* (9) Reconventione contra Actorem a Reo instituenda *concl. 9.* (10) Contestatione litis & positionibus, juramendo respondendorum dandorumque dandis, *concl. 10.* (11) Exceptionibus dilatoriis æque ac peremptoriis, *concl. 11.* (12) Probationibus, *concl. 12.* (13) in Conclusione causæ & Actorum transmissione, *concl. 13.* (14) Sententia *concl. 14.* ac denique (15) in hujus executione, *concl. 15.* Postremo *concl. 16.* officium Judicis Suppletorium circa varia in quavis Judicii parte emergentia considerat, adductisque iis, quæ in actibus voluntariæ Jurisdictionis hisque similibus isti quoque subjacent, ultimam manum cum coronide

nide duplicis Conclusionum & materiarum indicis opusculo imponit.

VINCENTII PLACCII J.U.L. ET PROFESSORIS Hamburgensis Justiniani Imperatoris Institutiones reconcinnatæ.

Francofurti 1682. in 8.

DE methodo & ordine Juris Romani, quod quidem Justiniani jussu compositum in quatuor volumina succrevit, diversa diversorum circumferuntur judicia. Sunt, qui Cujacium secuti, omnia arte mirabili in eo cohærere, nec tam ingenio Triboniani, quam Juliani & Hermogeniani aliorumque veterum Juris Sacerdotum, quorum vestigia ille secutus sit, digestum contendunt. Sunt e contrario alii, *ἀμεθοδίαν* librorum Juris, titulorumque inter se connexionem non satis accuratam aperte accusantes, inter quos præ cæteris est non infimi subsellii JCtus, *Antonius Matthæi*, qui sæpius concinnatori Elementorum Jurisprudentiæ Romanæ *ἀταξίας* nævos exprobrat, quos tamen abstergere conatur CL. Argentoratensium JCtus *Joh. Otto Tabor in Partitionibus Jurisprudentiæ Methodicæ elementaris*, satius esse dicens (*vid. cit. libelli dedicatio prior & conclusio*) ad levigandas difficultates, tectis & excusatis, si qui vel maxime subessent, erroribus, reverentiam potius ac amorem erga Justiniani methodum, quam tædium ac veternum cupidæ legum juventuti instillari. In hac ergo posteriorum classe suum quoque videtur profiteri nomen Auctor præsentis libri, qui se, non modo ob compaginem partium confusam, sed etiam obscuritatem rerum, defectumque bonarum definitionum, multarum deinde ac præcipuarum Juris materiarum quarum nec nomina quidem hæc Justiniani Elementa nota faciant, præteritionem, ac denique abrogata, quæ ibi contineantur, quamplurima, ad reconcinnandas has Constitutiones Imperiales, novamque iis faciem adaptandam, compulsum asserit. Sex vero potissimum recenset, quæ in hoc enchiridio præstiterit. (I) Paucas se ac perbreves sensuum declarationes passim textibus interseruisse. (II) Sola illa, quæ ad Compendii Juris necessariam Institutionem requirantur, a superfluis, aut repetitis potius, secrevisse. (III) Definitiones rerum plane omissas supplevisse, vel etiam in textu occurrentes interpo-

terpolatione levissima accuratiores effecisse. (IV) retinuisse quidem partium seriem & connexionem, Imperatoris auctoritate comprobatam, nec omnino pessimam, quandoque tamen titulum alteri aut ejus parti præmittendum, qui postpositus erat, notasse, vel ubi ejus paragraphus aut ejus membrum intempestivius anticipatum esset, monuisse. (V) ea, quæ certo aut legibus recentioribus aut usu indubitato Imperii abrogata constet, typorum varietate ab adhuc vigentibus distinxisse; ac (VI) denique varia supplementa ad perfectum Juris privati compendium adjecisse, omissis tamen iis, quæ ex Philosophia Practica cuivis ante, quam Jurisprudentiæ limina salutet, addiscenda sint, aliisque spinosis quæstionibus & distinctionibus subtilioribus non tam a Legibus, quam Interpretibus sæpenumero excogitatis; & quidem hæc omnia eo studio. ut non putet, hujus breviarii aliud *breviarium* denuo requiri, nisi apud eos, qui ætatis aut præcognoscendæ Philosophi*æ* maturitate destituti, præpostera *festinatione* ad altiora hæc studia impares adhuc nimis animos attollant.

MISCELLANEA HISTORICA REGNI Bohemiæ. Decadis I Liber IV. Hagiographicus, seu BOHEMIA SANCTA, continens Sanctos & Beatos Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ, Lusatiæ &c. Autore Bohuslao Balbino, e S.J.

Pragæ, 1682 in fol.

QUorum memoriæ hunc librum destinavit Autor, quatuor *illi* potissimum, imo coronidem operis si addas, quinque *classibus* deprehenduntur distincti. In *prima* etenim collocavit, *quos* e Bohemis in Divorum suorum numerum Romana Sedes *retulit*: quin & alios, pro Sanctis & Beatis inter suos quidem cultos, *sed nuda forte* Sedis illius permissione. *Altera* eos commemorat, qui *tametsi* nulla Sedis autoritate in Sanctorum unquam censum *venerint*, *pro* Sanctis tamen Beatisque habeantur ab immemorabili tempore, ornatiq; istis titulis apud alios Scriptores inveniantur. *Tertia* eorum vitas complectitur, qui, licet nec Sancti sint a Pontifice declarati, nec uspiam Sanctorum vice culti, religionis Romanæ tamen causa fuerint interemti. Quo Edmun-

mundum etiam Campianum, Natione quidem & loco mortis Anglum, vitæ tamen institutione & doctrina Bohemum, refert. A cujus institutione postea se, doctrinamque suam recta quasi linea descendere inde probat, quod Edmundus hic Rhetorices Professor Pragæ, Jacobum Pontanum: Pontanus, Matthæum Raderum in Bavaria: Raderus, ibidem Jacobum Bidermannum: Bidermannus Johannem Lupium, & hic, Balbinum inter alios Pragæ Brunæque suæ habuerit alumnum disciplinæ. *Quartam* classem, ex secundi libri parte, faciunt, qui in Bohemia, Moravia, Silesia, & Lusatia cum publica sanctimoniæ vixerunt fama, vitæque innocentia in antiquitate claruerunt; aut a Scriptoribus idoneis virtutum & sanctimoniæ merito, in isto religionis genere commendantur. Quorum Catalogo & res gestæ Caroli IV, ac Ferdinandi II. Imperatorum Augustorum, Bohemiæque Regum inseruntur. *Postremam* classem, & totius Libri coronidem illis Societatis suæ Patribus tribuit atque Fratribus, qui integri fere abhinc seculi decursu, cum ultro Peste conflictantium obsequiis sese devovissent, eodem illo contagiosæ luis torrente sunt abrepti.

CASTELLUS RENOVATUS, hoc est, LEXICON MEDICUM cura & studio Jacobi Pancratii Brunonis Ph. & Med. D. & P. P.

Norimbergæ 1682 in 4.

DIuturnum sane est exilium, quod Medicina vel ab incunabulis suis, per plures incerto admodum gressu oberrans gentes, perpessa est. In Ægypto enim post Cataclysmum renata, Græciam petiit, & Asclepiorum familiæ (ex qua & *Hippocrates*) inprimis adhæsit: deinde ab Arabibus, Mauris & Saracenis, per 500 fere annos, undique quasi captiva circumducta, tandem ab Europæ cultioribus populis, suaviori amplexu suscepta fuit. Sub his migrationibus, non potuit non, propter gentium linguarumque diversitatem, vocabulorum multiplicium & terminorum technicorum, origine nunc græcorum, nunc Arabicorum, nunc plane barbarorum, varietas insignis succrescere; ut taceam ista, quæ Chymicorum turba, ad *Paracelsi* potissimum imitationem, adjecit pariter & inseruit. Ast horum denegata cognitio Tyroni,

Medico maximas difficultates, ne dicam impedimenta, sub ipsis artis addiscendæ auspiciis necessario adfert: quibus ut occurratur mature, plures jam olim eruditi Dogmatici æque ac Spagyrici desudarunt Medici, Lexica, Dictionaria, Onomastica Medico-Chymica conscribendo. Inter Dogmaticos quidem, *Anutius Fœsius*, & *Guil.Corneus*, Parif. *Bartolomæus Castellus Messanens.* cujus Lexicon Medicum Græco Latinum jam anno 1657 *Adrianus Ravensteinius* auctius edidit; *Stephan.Blanchardus Med.D.* edito anno 1679 Lexico Medico Græco-Latino, insigni vocabulorum penu referto, eminent. Ex Spagyricis vero *Leon. Thurneiserus*, *Gerh.Dorneus*, *Joh.Garlandius*, *Mart. Rulandus*, *Mich. Toxites*, *Guil.Iohnsonus*, hoc in negotio præ aliis occupati fuerunt. Sed cum horum conatus, utut laudandi, imperfecti nonnihil essent, nec una ex causa subinde defectuosi, necessarium hunc laborem in se suscepit Autor, ut omnia vocabula, quæcunque in arte Medica occurrunt, cujuscunque idiotismi fuerint, sive Dogmatica sive Hermetica in schola nata, in unum perfectum Lexicon Medicum, sub nomine *Castelli Renovati*, (quia ab hoc inchoatum) congereret, clare & perspicue eadem explicaret, Scriptorum probatorum allegationibus illustraret, & quod a pluribus tentatum, Tyronum in gratiam ita magis perficeret. Quo in conatu Autorem, & antecessoribus suis palmam præripuisse, & de Re Medica optime meritum esse omnino fatendum est.

INDEX
AUCTORUM AC RERUM.
I. *Theologica & ad Ecclesiasticam Historiam spectantia.*

Petri

II. *Juridica.*

III. *Medica & Physica.*

IV. *Mathematica.*

Dn.

V. *Historica & Geographica.*

VI. *Philosophica & Philologica Miscellanea.*

(o)